

CLARISSIMO  
DOMINO M. STAENDERO  
RESPONDENTI SUO INSIGNITER CARO  
*EX ANIMO FATA PROSPERA  
PRECATVR*  
P R A E S E S

**P**ost exercitationes Theologicas privatim tanto ardore et iudicio semper sobrio, abs Te frequentatas, publicum quoque specimen ex cathedra Philosophica nuper cum approbatione editum, mecum etiam in defendendo argumento sacro sat gravi et intricato occupari, instituto laudatissimo, decrevisti. Nihil unquam in Te desideravi, amantissime STAENDERE, nec etiam desiderari aliquid in Te passus es, adeo Te industria, pietate, modestia, et reliqua morum vitaeque compositione nobis probas; hoc tamen desideraverim, ut fortuna lautior Tibi contigisset, quo destinata feliciter porro prosequi possis. Neque tamen vel sic inter postremos delituisti, sed qui igniculi ac stimuli virtutum paternarum in Te reconditi, indefesso in studiis cursu ac plane concitato declaravisti, Teque ad sancti muneris partes, DEO, PATRE PATRIAE SERENISSIMO, ac Patronis Maximis volentibus, vocantibusque aliquando cum coetus fructu obeundas bene, sapienter ac solide praeparavisti, eoque rem perduxisti, ut ipse fide simplici una veraque ac sincera apud nos imbutus animas aliquando Tibi traditas pariter felici successu docere ac pascere queas. Quod ut auspicato fiat, ac STAENDERIANO homini porro decus insigne addas, industriaeque Tuae fructus amplissimos aliquando colligas, et Matri Optimae luculenti gaudii materiam pares, ex animo sincero, Tibique a fide perspecto, abs Numine benignissimo ac provido opto et precor. Scribebam Wittebergae sub egressum Mensis Aprilis A. O. R. MDCCXIV.